

Consiliarios, Cancellarios, Thesaurarium, Cubicularios, Dapiferum, Pincernam, Comites Camararum et generaliter omnes officiales maiores et minores Hungaros teneamus et habeamus. Item quando de rebus et negociis Regni Hungarie aut partium sibi subiectarum agetur, non cum alijs, preterquam cum Hungaris Consiliariis tractemus et consultemus, et alios forenses aliasque nationes ad talem consultationem, taleque consilium non admittamus. Item quod beneficia ecclesiastica, presertim vero Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Preposituras, ceterasque Prelaturas nonnisi Hungaris, vel qui sunt Corone ab antiquo subiecti, absque expresso consensu et libera ac spontanea voluntate dominorum Prelatorum et Baronum, Regnique Consiliariorum conferre valeamus, conferamus autem personis probitate ac virtutibus benemeritis. Item quod Wayuodam Transylvaniensem, et Comitatum Sicularum et Themesiensem, Posoniensem, preterea Banatum Sclauonie, Dalmacie et Croacie, nec non Zewriniensem, Nandor Albensem et de Jaycza, aliaque loca et castra finitima, nec non ciuitates Regales, non alijs preterquam Hungaris pro officiolatu dare et conferre valeamus, bene tamen meritis. Item possessiones et iura possessionaria non forensibus, sed benemeritis incolis, tamen Regni et Corone Hungarie subiectis, iuxta eorum merita et obsequia conferamus. Item, quod in celebrationibus octauarum iudices Regni Hungarie ordinarii personaliter intersint, nisi ex causa legitima in arduis negocijs Regni prepediti fuerint, vel alter illorum fuerit; ipsi autem et eorum Vicesgerentes et Coassessores liberam, plenam et omnimodam habeant facultatem omnibus causantibus maioribus et minoribus cuiuscunque status et condicionis seu dignitatis existant, absque omni timore meram et sinceram, iuxta Regni antiquam et approbatam consuetudinem, iusticiam ministrandi, et quod neminem Judicum compellamus vel astringamus in fauorem alicuius consuetudines, communem obseruanciam ac iuris ordinem immutare seu perturbare, vel prout in nouo decreto fuerit expressum. Item, quod ad simplicem querelam vel sinistram suggestionem neminem Regnicolarum nostrorum cuiuscunque status seu condicionis existat, in persona, possessionibus seu quibuscunque rebus aliquomodo, preter viam iuris et partibus non auditis, impediamus. Item, quod neque motu proprio, neque ad quoruncunque delacionem vel querelam contra quempiam Regnicolarum nostrorum, cuiuscunque status seu dignitatis sit, aliquam occasionem nocendi, siue in personis, siue in rebus concipiamus vel exquiramus. Item, quod moneta presens ad tempus non mutetur, quando vero mutari deberet, hoc fiat cum consilio Prelatorum et Baronum, et non aliter. Item quod quicquid domini Prelati et Barones cum ceteris incolis Regni Hungarie pari voto ac communi deliberacione pro libertate et tranquilla quiete atque conseruacione eiusdem Regni vsque tempus Coronacionis conceperint, conscripserint et concluderint, more ab antiquo consueto et semper obseruato, quod Regni decretum appellatur, teneamur litteris efficacibus acceptare, confirmare, roborare, ratificare et approbare; quemadmodum alii Reges Predecessores nostri, ex laudabili et approbata consuetudine Regni semper fecerunt, quodque semper obseruemus et per omnes alios obseruari faciamus. Item, ex quo Domini Prelati et Barones vrgentibus arduis necessitatibus Regni pro solucione stipendiariorum prefati condam domini Mathie Regis, qui in Slesia fuerant, coacti sunt notabilem summam florenorum conquirere, vt Regnum ipsum integrum et illesum nobis manutenere et assignare possint, et proinde certa loca et certos prouentus Regales nonnullis personis, que summam illarum pecu-